



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Epithalamium

VIRO VENERABILI ET ERVDITO D. DANIELI Steuerlein Smalchaldensi, sponso, & virgini pudicæ Dorotheæ Kneuffin sponsæ, gratulatorio nomine scriptum à

Iohanne Christofero Fuchfio.



Smalchaldiæ

Michael Cröner excudebat, Anno 1571. 6. Calend. Sept.

Insigni eruditione & virtute præclaro Dno M: Ioa Sleifero Seruesano, poeta laureato. A Ioann

5
Hoc Fuchfii de vidue Christoforo Cröneri
Hinc cito priores (chixi) cadeste nonem.
A hys nomm vatem viridi pringite Iuro,
Nam fontis Clary fama preemnis erit.



Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, including the name "ALBERTUS" and other illegible words.

A large, irregularly shaped area of the page is obscured by a significant water stain, rendering the text underneath completely illegible.

Handwritten text in a cursive script at the bottom of the page, partially obscured by the water stain. The text is difficult to decipher but appears to be a signature or a note.



EPITHALAMIA MIVM.

Dorotheam **D**ANIEL sociam sibi iungere vitæ,
Atq; sacrata thori vincla subire parat.
Non decet hîc castæ, vos mutas esse, Camœnæ:
Ille etenim vestri gurgitis hausit aquas.
Et didicit linguas magna cum laude decentes,
Leucoreæ quæ sunt culta Lyceæ scholæ.
Sic ibi vos Musæ satis hunc coluistis, ut ore
Tractet Palladio mystica scripta Dei.
Ecquid mundus habet maius, mortalibus ægris
Verbi qui monstrant luce salutis iter?
Et vestras studijs iungunt cœlestibus artes,
Rectius ut possint concelebrare Deum.
Laude igitur vestrum votisq; probate fauorem
Erga tam dignum Musæ & Apollo virum.
Incipe Apollo lyram digitis percurrere, chordis
Nectareo similes edere & ore sonos.

A P O L L O .

Salve doctorum veneranda corona virorum,
Salvete & reliqui veræ virtutis & æqui
Cultores, mensis qui convenistis in illis
Legitimos ornare thoros, quos Rector olympi
A 2 Primus

Primus & instituit, sacris & sanxit in hortis
Vix vbi glebosa tellure creárat Adamum.
Vt genus humanum numeroſo creſceret ortu,
Ipſe & ab hoc ſemper merito coleretur honore.
Si quis adeſt veſtrúm, qui me ſociasq; puellas
Miretur, ſciat: Aonio ſum præſes in agro,
Fontem ad Caſtaliũ Parnaſſi vbi culmina ſurgunt,
Vndiq; me vatum docto chorus ore celebrat.
Ter tres, quas cernis mecum applicuiſſe, puellæ
Sunt Heliconiades, doctiſſima numina Muſæ,
Profluit à quibus in ſacros decus omne Poetas.
Queritis at geniti dijs, his quid agamus in oris?
Adſumus, vt ſponſo, cui pura mente fauemus,
Docta Meduſæo quia proluit ora liquore,
Et mores magna pietate ornauit honeſtos,
Gratemur vitæ felicia cæpta iugalis.
Ergo age Calliope, prodi prior, incipe Iambos
Edere feſtiuos, te cætera turba ſequetur.

CALLIOPE.

Nos caſta Muſæ pectora
Vt execramur horridas
Impuritates Cypridos,
Ab omnibusq; turpibus

Procul

Procul sumus feruoribus:
Sic maximè Parnassici
Fugisse cultores sacri
Blandas decet libidines,
Hostiliterq; turpium
Odisse amorum incendium.

Quapropter inde à paruulis
Secute tesqua Musica,
Nostrisq; sponse amplexibus
Nutrite, quòd te vinculis
Iugalibus nunc subijcis,
Vt castus ipse coniugis
Maritus vnus (iubet
Quem Paulus esse, qui serit
Fœcunda verbi semina)
Adulterinæ Cypridos
Vitare possis retia:
Cœptum probamus hoc tuum
Castum, pium, laudabile,
Optamus & connubium
Faustum. Beatitudines
O sponse multæ te manent.
Dictabit ipse Delius
Carmen tibi venustius,
Venaq; posthac vberè
Præstantiora concines.

Promissa clementissimi
Dei rata esse senties.
Nanq; ipsemet cœptis tuis
Fauebit, vt scopum tibi
Tandem statutum attingere
Possis laboris ardui:
Prodesse multum cœtui
Commisso, & æterni Dei
Efferre nomen laudibus.
A quo feres cœlestia
Mutanda nullis seculis
Tui laboris præmia.

C L I O.

Non ego doctè minus grator tibi sponse sorore
Beatitudinem tibiq; vendico.
Nanq; bonam cui dat (dedit vt) Deus ipse maritam,
Beatus ille iure nominabitur.
Talis opes superat Cræseas fœmina, talis
Mida stupenda vincit auri pondera.
Ergo age D O R O T H E A, diuino munere, casta,
Bona, piaq; sponse gaude coniuge.
Hoc vitæ genus, hoc donum, optatumq; ligamen
Clio fauente mente gratulor tibi.

Melpo

MELPOMENE.

Beatus ille si vir esse dicitur,
Cui nupta contigit bona:
Dicaris ut beata quis vetet? bono
Beata sponsa coniuge
Donavit hoc superna te benignitas,
Age ergo gratias Deo,
Tali quod ipse pro sua clementia
Ornauerit te munere,
Quocumq; cernis, huius emicat decus,
Nil non vides, quod sponsa ames.
Hunc mente pura ama, atq; honora, sic eris
Multò indies beatior.

THALEIA.

Cur te præteream diserte sponse?
Cur te nunc sileam Thaleia sponsum?
Qui nos appetere, approbare, amare
Sueuisti, pietatis & magister
Informas hominum docesq; mentes,
Ut Christum celebrent vehantq; laude,
Atq; eius capiant tenenda iussa:
Ne te præteream diserte sponse.

Ne te nunc sileam Thaleia sponsum
Me cœtus Clarij iubet patronus.
Depromam pia vota gratulando
Dum nuptæ thalamos inis pudicæ.

Ergo supplice voce numen illud
Diuinum rogo, vinculum iugale
Ut sit dulce tibi, tuæq; sponsæ.
Absint à thalamo procul sinistra,
Fata, & iurgia, & improbi calores.
Sint vestræ, Domino fauente, tædæ
Semper prospera fata, puri amores,
Sit concordia, sitq; pax amica,
Sit fœcunda domus, propago crebra,
Quæ vestri senij leuet labores,
Claudant nati oculos mori volenti
Ipsi Nestoræ pares senectæ.

TERPSICHORE,

Præcipit sponso rigidos labores,
Præcinit sponsæ querulos dolores,
Lenit hos, illos leuat ipse celsi
Rector olympi.

Vincitur sudorum & amaritudo
Et labor durus vigili labore,

Numinis

*Numinis si quis pius in beati
 Nomine sudat.*

*Sunt ei suaves recreationes,
Atq; solamen labor et dolores:
Nam statu rerum quis in hoc parentem
 Sentit abesse?*

*Ergo non segnis pie sponse munus
Perfer iniunctum, Deus actiones
Sic reget vitæ, & te ope subleuabit
 Rebus in arctis.*

*Sponsa non segnis studijs laborum
Cum viro certa: tolera dolores:
Leniet diuum pater hos, & illos
 Ipse iuuabit.*

E V T E R P E.

*Sicut lucis avis te, leo, nuncia,
Terrens horribilem voce fugat leui:
Sic tu sponse sacra Psalmographi lyra
Aude tartareos pellere Dæmones.*

*Et tu sponsa Deum sollicita prece,
Vt Sara, assidua: sic stygiæ domus
Cedent monstra tuo protinus à thoro.
Vt cessere Tobie à thalamo pij.*

Vranie.

VRANIE.

*Felix astrorum positus facit edere tædæ
Carmina, pauca quidem, sponse sed apta tuæ.
Coniugium (cæli nisi me præsagia fallunt)
Promittit felix stella benigna Iouis.
Nec minus alma Venus: quocunq; & lumina verto,
Cuncta tuo thalamo sidera sponse fauent.
Spondet sponsa tibi faciles Lucinaq; partus
Nent vobis triplices stamina longa Deæ.
Hæc Deus, astrorum rector, confirmet: At ipsa
Gratulor hæc vestro prospera fata thoro.*

Erato.

ERATO.

Felix qui Dominum metuens, peccare veretur:

Nititur & rectas, quas iubet, ire vias.

Magno rus patrium semina fœnore

Reddet: acquies manuū labore

Feliciter victum tuum,

Et velut optas

Omnia cedent.

Vitiq; par penatibus

Fertili coniunx decus addet amplū,

Et non pauca tibi pignora proferet,

Ac veluti teneris floret oliua comis:

Orbita sic mensæ numerosa prole vigebit.

POLYMNIA.

Præmia tanta manent veræ pietatis amantes,

Rettulit ut vario carmine docta soror.

Ergò quos thalami vincula vinciunt,

Vos iuuet præsens Deus, et senectæ

Vobis det annos Nestoris.

Qui tenet altæ

Templa Sionis

Vos turbulento tempore

Seruet, & cœtus faciat videre

Fidentis sibi vos aurea secula

Omni det vobis tempore pace frui,

Et natos numerare, & qui nascuntur ab illis.

ERATO

Feliciter Dominum ...
Nihil ...
Et ...
Feliciter ...
Et ...
Feliciter ...
Et ...
Feliciter ...
Et ...

POLYMNIA

Feliciter ...
Nihil ...
Et ...
Feliciter ...
Et ...
Feliciter ...
Et ...
Feliciter ...
Et ...
Feliciter ...
Et ...



Nov 1996

8

ULB Halle 3
002 063 808



nicht aufg., da unvollst. u.
nicht zu ermitteln!

28 a / 50 1996 |

VB 17

M





B.I.G.

Farbkarte #13

Epithalamium

VIRO VENERABILI ET ERVDITO D. DANIELI Steuerlein Smalchaldensi, sponso, & virgini pudicæ Dorotheæ Kneuffin sponsæ, gratulatorio nomine scriptum à Iohanne Christofero Fuchfio.



Smalchaldiæ

Michael Cröner excudebat, Anno 1571. 6. Calend. Sept.

Insigni eruditione & virtute præclaro Dno M. Ioa. Sleifero Seruesano, poeta laureato. Ad Ioann.

5
Hoc Fuchsi de viduæ christoforo Cröneri, a p. m. a. Johannis
Hinc cito pueris dixit fides non perit.
Alte nomen vatem viridi pinguis lano,
lam fontis Chary fama pueris vit.

